Orationes duæ:

ALTERA

FVNEBRIS, IN OBITVM DECEM PRAESTANTISSIMORVM VERBI MINISTRORVM, IN SVPERIORE HASSIAE Comitatu nuper defunctorum.

ALTERA,

Explicationem continens Dicti Christi, VOS ESTIS LVX MVNDI:

Qua concinna & elegantissima appellatione, Filius Dei, Archiepiscopus & Præsul noster, tùm dignitatem, tùm vsum necessarium, tùm officium, tùm præmia, fidelium Ecclesiæ Doctorum, compendio simul complectitur.

Publicè recitatæ coram Synodo Gerauiana, in Templo Darmstatino, XVI *&* XVII *Iunij, anno nouissimi seculi* M. D. LXXXIIII.

à

M. IOHANNE ANGELO, Darmstatinæ Ecclesiæ Ministro, & finitimarum Superintendente.

FRANCOFORTI, M. D. LXXXV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V316

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

REVERENDIS, DOCTISSIMIS ET PRAESTANTISSIMIS VIRIS:

D. M. Mathusalemo Arnoldi, M. Iohanni Crispino, D. Iohanni Hirstenio, M. Iohanni Heintzerlino, D. VVendelino Helbachio, D. Immanueli Caldenbachio, & M. Chunrado Heilio, Synodi Gerauianę Proceribus dignissimis, fratribus, amicis ac Collegis suis charissimis, gratiam & pacem per Christum.

EX quo has Orationes nuper in Synodo vobis auscultantibus recitaui, Viri ornatissimi, fratres & Collegæ venerandi, non desuerunt, qui vt publici iuris illas facerem, præloq. cõmitterem, omnibus modis vrgerent. Accessit huc, quòd plurimi etiam nunc, qui magna alacritate eas tum fortè exceperant, transscribi illas & sibi mitti, summoperè efflagitarent. Quamuis verò neutra Oratio lucernam oleat (quod olim de Demosthenis lucubrationibus celebrabatur, qui non solùm scripta, sed etiam sculpta dicebat) & neque doctrinam reconditam, neque orationis sublimitatem spiret, pijs tamen illorum votis, beneuolentiæ declarandæ studio adductus, annui: certò confisus, argumentum materiæ huius amplissimæ, omnibus Theologiæ studiosis, haud ingratum futurum. Ac licet crassè pleraque effuderim, hoc tamen vnicè operam dedi, vt dulcissimo Ministerij nostri epitheto, in amorem & celebrationem Domini nostri Iesu Christi, & in considerationem sanctissimi nostri officij, omnes fidei meæ concreditos fra-

tres, mollibus potius verbis quàm asperis, ducerem, traherem, raperem. Certè quicquid sit, venerandi Presbyterij dignitatem, & sacri muneris nostris rationem, partim lugubria, *partim* festiua *cantando, adumbraui. Vobis autem Reuerendi fratres ac Symmystæ suauissimi, exiles hasce laborum meorũ primitias dedicare volui: tùm vt mutuæ inter nos charitatis sigillum essent: tùm verò vt religiosæ meæ erga vos pietatis & gratitudinis symbolum ac monumentum extarent.*

Faxit Christus ἀρχιποιμὴν, *vt æterna inter nos non solùm vigeat concordia & animorum in Deo coniunctio, sed etiam vt verè simus* Candelabra aurea Mundiq; luminaria, *in quorum lumine, quamplurimi, ad Dei Omnipotentis gloriam, & animarum suarum salutem, inoffenso pede, ambulent, Amen. Valete, Darmstati, Calend. Augusti, Anno nouissimi seculi 1585.*

χρῆσιν τε καὶ κλῆσιν *vester:*

Iohannes Angelus.

ORATIO FVNEBRIS, DARMSTATI PVBLICE HABITA CORAM SYNODO GERAVIANA XVI IVNII, ANNO D. M. LXXXIIII.

ITERIS memoriæq; proditum est, Reuerendi viri, Symmystæ vsu rerum ac eruditionis pietatisq; laude celeberrimi, Iuuenes Ornatissimi, Literis, inquam, memoriæque est proditum, GRAECOS Templa Gratiarum in medijs vrbibus condere fuisse solitos, vt ciues publicorum beneficiorũ memores, ad gratiarum actionem, quotidiano horũ aspectu inuitarentur. Præclarum sanè Gentis eius prudentissimæ, hoc fuit institutum, omnibusq; meritò mortalibus ad imitandũ propositum. Cum ergò & nos propitio Deo in sacro hoc Musarum cœlestium Templo, in atrio & domo Domini (iam olim precibus fundendis, gratijsq; Deo immortali agendis consecrato) ex mandato Illustrissimi ac Clementissimi Principis ac Domini nostri conuenerimus: par est, vt omnes simul mentibus in cœlum eleuatis, & pronis inflexisque genibus, à primo huius Synodi ingressu sic oremus:

A gratiarum actione.

Misericors & æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, gratias tibi agimꝰ sempiternas, quòd nobis seruis tuis non solùm hospitia & optatam corporum tranquillitatem, clementer ad hunc vsque diem, sub pientissimo nostro Principe ac Patrono indulgentissimo, concesseris: verùm etiã per Filium tuum in Spiritu sancto nostram vocationem, labores studiaq; gubernâris, nosq; tum saluos & incolumes, tum in omnibus sacræ Religionis capitibus consentientes, conseruâris. Te humiles, in Spiritu sancto tuo hîc congregati, precamur, vt Filius tuus æternus & vnigenitus, iuxta promis-

ſionē ſuam nobis adeſſe, mediusq; coniungi velit, & omnes durante Synodo cogitationes noſtras, conatus, verba & opera ad tui ſanctiſsimi Nominis gloriā, ad Eccleſiarū tuarū ædificationē, animarūq; noſtrarum ſalutē, vtiliter dirigat: Amen.

Tranſitus à gratiarum actione ad rem ipſam.

Soluta feliciter ante triennium poſtrema Synodo, ſpectatiſsimi fratres, cùm dimiſsio inſtaret & ſingulis valedicendum eſset, non potui (vt noſtis) à lacrymis & ſingultibus, in hac laudatiſsima corona mihi temperare,

Mittit, ſcil. *luctus ſigna futuri*
Mens antè ſui præſaga mali.

Præſagiuit enim tum mihi animus, inſignem noſtri ordinis propediem impendére mutationē: quam non longè pòſt grauiſsimam pleriq; ſenſimus. Alij enim noſtrum fatalibus & deſperatis morbis miſerè conflictati; alij in re familiari & domeſtica afflicti; alij peſtilentiali lue correpti: alij parentibus chariſsimis, alij dulciſsimis liberis, dulciſsima animæ parte, orbati: alij thorum viduum & ſolitarium fouentes; alij grauiora paſsi, hoc ipſum à Synodo ſuperiore tempus, non ſine luctu & ſqualore tranſegimus. Quid, quòd Deus ille iuſtiſsimus præter omnem omnium cogitationem Synodi noſtræ decimas ex hoc noſtro numero, per mortis

Propoſitio.

miniſterium largiſsimo quaſi fœnore exegit? Decem enim viros lectiſsimos, Iuſtitiæ diuinæ Præcones, ex hoc noſtro conſeſſu & à gubernaculis Eccleſiarum, per mortem, tanto & tam exiguo temporis interuallo nobis ereptos deſideramus, qui cùm templa in terris fuerint eius, qui nos hîc collegit, Spiritus, illorum memoriam, non vt canis demortui, abijciemus;

Partitio.

ſed honorifica iam recordatione, in hoc conuentu celeberrimo, proſequemur: Deinde, quid illorum exceſsus nobis hîc congregatis tacitè ſuggerat, religioſis & attentis animis conſiderabimus. Dum autē ſacros illorū cineres è ſuis monumentis & loculis in vnam quaſi vrnam collectos, huc

Acceſſio.

ante oculos veſtros ſtatuero, vos intereà ſacrata ſingulorum funer-

funera, lugubri vultu aspicite, & quos habuerint vitæ exitus, mecum recognoscite.

Anno igitur à Christo nato, millesimo octuagesimo primo, sexto Octobris die, primus è numero nostro optimo fine clausit humanæ vitæ terminum, venerandus Vir, Dominus Georgius Roleuerus: qui cùm Castrensis Concionator, & quidem modò palliatus, modò togatus, multas regiones exteras perlustrasset, Pfungstati tandem & Raunheimiæ, Ecclesiam Filio Dei, ad vitam æternam pro dono diuinitus sibi concesso, fideliter collegit: & vxore, liberisq; aliquot in æternam patriam ad Patrem misericordiarũ præmissis, peste infectus, in vera Iesu Christi, tum agnitione, tum inuocatione, (cùm nullus trium filiorum superstitum adesset, qui vltimos eius hausisset anhelitus) occubuit. Fuit hic Georgius noster, vir candidus, syncerus, apertus, hospitalis, ad omne officiũ gratiosus, & beneficus in omnes: ideoq; immortali laude, merito suo dignissimus.

I. Pars.

I. Georgius Roleuerus, Raunheimensis Ecclesiæ Minister.

Consecutus hunc fuit, non longo interuallo, Wilhelmus Rummelius, laudatissimarum artium ac virtutum Magister, decus & ornamentũ Synodi nostræ: qui 28 Maij, anno 82, in ipso Wilhelmi festo (quem finem incolumis sæpe ominatus sibi fuerat) sibi quidem ipsi tempestiuè, sed Ecclesiæ Christi nimis præproperè, Gunsheimiæ obijt. Iuuenis hic fuit: sed πολλῶν ἀνάξιος ἄλλων. Ac si rectè olim sensit Ambrosius, quòd perfecta ætas sit, vbi perfecta virtus habitet: & alius, quòd vnus eruditi hominis dies plus valeat, quàm imperiti longissima ætas, verè quoq; hic noster Wilhelmus, ex perfecta & laudabili vita, & ætate honestè acta, senex fuisse censebitur. Senectutem enim annorum, licet non fuerit consecutus: senis tamen animum, prudentiam ac mores, ad miraculum vsque habuit, multosq; senes virtute, eruditione, doctrina & grauitate superauit: cuius rei insignia documenta & expressa vestigia, in postrema Synodo, vobis testibus, ostendit; SENECTVS venera-

II. M. Wilhelmus Rummelius, Gunsheimensis Ecclesiæ Pastor.

Ambrosius in Oratione funebri, de obitu Theodosij.

Seneca epistola 79.

Sapient.4. bilis est, inquit Sapientia, nõ illa diuturna, & annorũ infinitorum numero computata: sed vita immaculata, vera ætas est senectutis. Coram hac reuerenda canicie etiam Angeli Dei assurgunt. Non immeritò igitur funeri eius lugubri, hæc iusta persoluimus, exequiasque eius, qua par est pietate, cohonestamus.

III. *Theodoricus Kedderichius, Ecclesiæ Epsteinensis minister.*

Ad Theodoricum Kedderichium progredior, virum literatum & multis virtutibus clarum: qui tertio Nouembris, eiusdem anni, partim continuis infelicissimæ podagræ doloribus antea exhaustus, partim peste subitò correptus, corpus quieti & terræ, spiritum autem DEO reddidit. Inseruierat sanctissimum hoc pectus, annis sedecim, Ecclesiæ ad Eponis saxum collectæ, tanta quidem animi contentione, prudentiæque zelo ac spiritu, vt reuera Theodoricus verus fuerit, excellentissimum, inquam, in Schola & Ecclesia Dei donum. Vita eius professioni, doctrinæ & fidei per omnia respondebat. Vnde & iusta ætate, diuina benedictione, canitiẽ (quam Solomon coronam gloriæ vocat) adeptus est: quam omnes pij, docti pariter & indocti, propter multarum rerum tùm cognitionem, tùm experientiam, vitæq; sanctimoniam, apertè taciteq; venerabantur. Hæc merces, hoc stipendium debetur illis, quibus senectus morum venerabilis, & cana inest prudentia.

Prouerb.16.

IIII. *Israel Buschius Ecclesiæ Auerbacensis Præsul.*

Hunc Theodoricum nostrum secutus fuit Dominus Israel Buschius, qui tertio Februarij, anno 53, ex hac vita ad superos migrauit. Verũ hunc corruptissimo hoc seculo, (quod ad memoriam eius insigne erit) ad Christi sensum, dixisses Israelitam: quòd in eo nõ dolus, sed synceritas; non hypocrisis, sed cordis integritas, & erga homines fidei curæq; suæ concreditos, rectitudo, conspiciebantur, vt reliquarũ, quibus excelluit, virtutum catalogum, percensendo prætercam. Amabat omnes, nemini molestus, omnibus humanus erat, Deo & optimis quibusque charissimus.

Quin-

Quintus in ordine, qui manes suos in hoc cœtu vestro posuit, Tobiæ nostri fuit filius.

Heu mihi mortales, quid sunt? quid vita caduca?
Occiduæ mortis nil nisi principium.

V. *Philippus Plastrarius, Ecclesiæ Biberauianæ Diaconus.*

Hic licet in ministerium nostrum publicè nondum fuerit inauguratus, membrum tamen Synodi factus, meo suffragio, & inprimis Illustrissimi Principis nostri consensu, summaq; totius Ecclesiæ approbatione, patris collega erat designatus: Et nisi mors eius immatura, vna septimana me præuenisset, iam tũ solenniter talis fuisset declaratus & publicè renunciatus. Huic si Deus terminum vitæ longiùs prorogasset, non solùm domus paternæ totiúsque familiæ columna, verumetiam, quam mihi spem fecerat, Tabernaculi Domini haud vulgare extitisset ornamentum. Literarum enim causa, in exteris Scholis peregrinatus, & in Cyclopædia probè versatus, sublimioribus iam vacabat studijs, Musisq; sanctioribus se totum consecrabat. Breuem admodum habuit laboris metam, sed coronam adeptus est æternam. Vitam enim suam abrupit, & ad Christum in cœlos profectus fuit, anno 83, ipso Palmarum festo: palmas iam ante thronum Dei, & in conspectu Agni, in signum æternæ per Christum partæ victoriæ, ferens. *Apocal. 7.*

Offertur nunc Balthasarus Maurus, Ecclesiæ Megdenbachensis & Wildensachssensis Minister fidelis, Vir optimus & integerrimus: qui vt 26 Decembris, anno 83, peste occubuit: ita thesauris cœlestibus ac diuitijs æternæ hæreditatis (quas plena ac perfecta visione, in clarissima luce sapientiæ Dei positus cognoscit) iam anima seu spiritu, reipsa Beltzazar factus, potitur, adeoq; à feris Saxonib. & Mauri iaculis, ad socias Angelorum cohortes, & ad certissimam securitatem, quæ in cœlis est, feliciter pertransijt.

VI. *Balthasarus Maurus, Ecclesiæ Megdenbachensis & Wildensachssensis in Dominio Epstatino Minister.*

Ordo nunc postulat, honorandi fratres, vt in medium adducam quatuor recentia huius anni funera, non fœtida il-

ſa aut olentia, ſed ſuauem odorem ſpirantia: quæ animo & mente nō vt cadauera, ſed vt Spiritū ſancti θεραπευτα, iam intuebimur. Ecce autem primus in conſpectum veſtrū, è ſacrario prodit annis & meritis grauis, ſexagenarius, Abrahamus ille Moterus, pulcherrimum ſenectutis decus: qui trigeſima lanuarij die, magno totius ciuitatis noſtræ, & omnium eius incolarum, ſummorum & infimorū, luctu, ante muros Darmſtatinos, in cœni volutabro, ſordidatis veſtibus, ex apoplexia mortuus deprehenſus eſt. Sic ſcil. ſunt iuſti, quibus mala proueniunt, quaſi opera egerint impiorum. Sic vnus eſt interitus ſapientis & ſtulti, docti & indocti. O quàm verū eſt illud vulgò iactatum, & vſu nunc ſæpius cōfirmatum! *Neſcis quid ſerus veſper vehat*. Et illud alterum in ſcripturis celebratum: *Noli gloriari de craſtino, quia neſcis, quid pariat dies*: quo ſcil. alius nos ſæpe cingit, & transfert quo nolumus. Dolores parturientium ſubitò matres obruunt, fateor, ſed celeriorem mutationem vna hora, ex occulta diuinæ diſpenſationis cauſa, quam admirando Dei iudicio relinquimus, non rarò inducit. Quæ enim iam iam ſumma ſunt, mox in nictu oculi, ima fiunt, omnesque mortalium res & ſpes, inſtar rotæ cuiuſdam, tam ſubitò & repentè circumuoluuntur, vt neque fecilitas, neque infelicitas firma nobis permaneat. Peregerat innocentiſſimus vir, prima aurora, docendi in Eccleſia ſua officium, & cygneam planè vocem ac cantionem (vt tum teſtabantur vniuerſi eius auditores) quaſi poſtremum vale dicturus, ediderat. Hoc ſanctiſſimo vocationis ſuæ opere perfunctus, ligna emptum præfectos ſyluæ Beſſungenſis adit: quibus ad votum impetratis, in tabernam famis ſitisque pellendæ gratia, cum alijs honeſtis viris diuertit. Illic paulò largiùs (ad ſatietatem, non ad ebrietatem) cùm bibiſſet homo grandæuus, & inclinante veſpera domū maturaret: en in ipſo medio itinere, pigram in paludem ſenili corpore lapſus, & à toto Mundo deſertus, animam, tenſis ad ſydera palmis, exhalauit, & ad fontem perennis vitæ,

vt. *Abrahamus Moterus, Eccleſiæ Arheilgenſis Antiſtes.*

Eccleſ. 8.
Eccleſ. 7.

Varro.

Prouerb. 27.
Ioan. 21.

Hypotypoſis.

vitæ, ex illo limoso gurgite, per atros mortis sinus, apprehensa salutis anchora, prora & puppi carens, remis velisq; traiecit.

Dolemus fraternè, quòd hoc mortis genere extinctus sit, verùm cùm semper in conspectu Domini preciosa sit mors sanctorum eius, vbi vbi moriantur gentium & locorum, diuina hac Dei voluntate nobis obedienter est acquiescendum. Quacunque hora iustus moritur, iustitia tamen eius non auferetur ab eo, vt in Propheta vox cœlestis testatur. Neque verò nocet bonis si subitò expirent. Nec subitò moriuntur, qui semper se morituros, piè cogitarunt. Noli timere (grauissimè inquit Augustinus) nō potest malè mori, qui bene vixit Prorsus confirmo, audeo dicere, Credidi propter quod locutus sum, non potest malè mori qui benè vixit. Et paulò pòst: Quicquid ergo est, quod exhorres in morte, omnino non exhorreas. Id age, vt bonam vitam habeas; & quæcunq; occasio fuerit, vt exeas de hoc corpore: exis ad requiē, exis ad beatitudinem, quæ non habet timorem nec finem. Et D. Hieronymus, Prouidentia Dei cuncta gubernantur, & quæ putatur pœna, medicina est. Dignus mehercle fuit Abrahamus noster, quem Musa vetet mori. Annis enim quadraginta, tum Scholis gubernandis, tum Ecclesijs regendis summa cum laude, fide, diligentiaque præfuit: concionator insignis, & ad captum popularem egregiè accommodatus, vt non frustra ad primum cadaueris ipsius intuitum Illustrissimus noster Princeps, lacrymis effusis in hanc vocem auersa facie eruperit, O fidum te pastorem ouium, qui tot & tam præclaras, viuus è cathedra, nobis auscultantibus, habuisti conciones!

Psal. 116.

Ezech. 18.

August. in lib. de disciplina Christiana, siue de dono disciplinæ.

Hieronymus.

VIII. *Martinus Ruffinus Ecclesiæ VVolffskelensis Pastor.*

Post hunc, suo potiùs quàm Ecclesiæ tempore, vitam cū morte commutauit 12 Martij, reuerendus & eximius Vir, Martinus Ruffinus, veteranus quoque seruus Domini nostri Iesu Christi, splendor & honos Musarū nostrarum. Nam hoc mihi omnes facilè dabitis, (liuor post fata quiescat) eū in hoc nostro ordine, quo ad rerū cognitionem, & multiplicem sci-

entiam, facilè principem locũ, & ſupremam quaſi arcem tenuiſſe. Sedit autẽ ad clauos & gubernacula Eccleſiæ Wolffskälenſis per annos triginta ſeptem, tanto populi fauore, ſtudio & aſſenſu, vt ad nullius hominis funus & ſepulturã, vberiores lacrymas, crebriores gemitus & altiora ſuſpiria totius multitudinis vnquã nec viderim, nec audiuerim. Sic ſcilicet conteſtatæ virtuti, etiam nobis extinctis, ſuus habetur honos. Virtutem incolumem odimus: ſublatam ex oculis, quærimus inuidi, inquit Horatius Poëta Ethnicus. Pauperes certè omnium ordinum, & ætatum, viduæ, pupilli, orphani, aduenæ, non amicum, ſed patrem, imò benefactorẽ hoſpitaliſſimum amiſerunt.

Horatius lib. 3. Carminum, Ode 24.

IX. *Iohannes Reinfarth, Eccleſiæ Wallauianæ in Dominio Epſteinenſi Miniſter.*

Tertium huius anni funus, quod in oculis veſtris ſitum eſt, & cuius iam à nobis mœſtæ ducuntur exequiæ, Iohannes Reinfarth dedit, Paſtor Wallauianus: qui 30 Aprilis die, matura ætate, extremum ſuum diem placidiſſimè clauſit. Hic in medullis & viſceribus meis etiam nunc hæret, quòd ſanctiore me neceſſitudinis vinculo ſibi deuinxerat, quàm multi alij. Ac certè elucebant in iſto homine doctrina, fidelitas, candor, prudentia, ſtudium indefeſſum, obſeruantia erga æquales, nedum ſuperiores, pietas erga Deum, Scholam, Eccleſiam, proximum. Pietate parentem, conſilijs Neſtorem ſe amiſiſſe, fratres Epſteinenſes, ſine vlla diſſimulatione ad vnum omnes queruntur. Licet autem eo ingenio natus fuerit, vt amicitiam atque inimicitiam in fronte promptã gereret: amabat tamen ſemper humilitatem & modeſtiam, mutuæ charitatis fideliſſimam nutricem, & virtutum optimarum parentem.

X. *Petrus Heuſſerus Eccleſiæ Ertzhuſianæ Paſtor.*

Decimus fratrum demortuorũ, eſt Petrus Heuſſerus, qui Ertzhuſij tertio, à morte Iohannis Reinfarth die, è vita exceſſit, aqua intercute & deplorata tuſſi ſuffocatus. Cùm autem cõtinuis aliquot hebdõadibus, bonus piusque vir, in lecto detineretur, ſpiritum ægrè trahens, cum Diuo BERNHARDO, cum aſtantibus dixiſſe, famâ certiſſimâ accepi: *Orate Saluatorem*

rem qui non vult mortem peccatoris, vt tempestiuum iam exitum meum nõ differat, sed tantùm custodiat. Et ita sicut Domino placuit, factum est. *In vita D. Bernhardi lib. 5. cap. 2.*

En sanctas decem Doctorum Ecclesiæ exuuias, vnius triennij spacio coàceruatas: quas qui siccis oculis contemplatur, næ ille plus quàm inhumanus fuerit. Nolim tamen hoc ita intelligatis, quasi cum beatis fratribus nostris, sanctæ recordationis, malè actum sit. Minimè verò: in funeribus defunctorum vt Charitas luget, ita Fides impensissimè gaudet. Et quid quæso mali patiantur, qui omnibus rebus, quæ in hac πονηροπόλει, vitaque misera exoptandæ videbantur, ad satietatem vsque expleti, & non nobis, sed periculis vrgentibus erepti, corporibus suis in sancto cubili requiescunt, & resurrectionem iustorum, gloriamque vitæ æternæ expectant? Quid, quòd ex candidatis Theologiæ, candidati æternitatis & immortalitatis facti, sempiterno nunc æuo fruuntur, & purissimis mentibus ferias agentes, ac Sabbathum ex Sabbatho sanctificantes, coram triumphante Ecclesia (cuius cœlestem & perennem consuetudinem illis fraternè gratulamur) in æterna Academia, eiusmodi cœlorum secreta, ex Libro vitæ, sapientissimè discutiunt, quæ olim D. Paulus, in tertium cœlum raptus, effari non potuit? Non ergo Mors, non Mors, inquam, eos absumpsit, sed ex hac delira & fatua Mundi senecta, cœlestis aula ipsos excepit: in qua cor vnum & anima vna: in qua mensa communis omnibus, vna videlicet eademque sempiterna hæreditas: in qua iudicio Dei, & vniuersæ Ecclesiæ cœlestis testimonio, labores suos coràm & palàm probari, ac gloriosè commendari aduertunt, audientes à Pastorum Principe & æterno Melchizedeco, *Euge serui boni, super pauca vos constitueram, & fideles fuistis, ingredimini in gaudia Domini vestri.* Præclarè ergo cum defunctis fratrib. nostris actum esse nemo inficias iuerit: quibus omnibus congratulantes ad pulcherrimum ἀοσβείας ipsorum Epitaphium, hoc Distichon Christi-

Esaiæ 56.

Esaiæ 66.

2. Corinth. 12.

Math. 25.

ano voto & tristi vaticinio lapidi sepulchrali inscribamus:

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua: nos alia, ex alijs, in fata vocamur.

II. *Pars.*

Iam tandem secundo loco, quid ad tot tristia nostri ordinis funera, omnibus gemmis preciosiora, nobis Dei gratia adhuc viuentibus, in hoc solenni celebriq́ue conuentu præstandum & cogitandum sit, pari attentione, quæso, accipite.

I. *Agamus Deo gratias, pro salutaribus organis, Ecclesiæ suæ donatis.*

A principio agamus æterno Dei Filio, Archiepiscopo nostro gratias, quantas animus capere potest maximas, quòd tot præclara lumina, talesq́ue Doctores Ecclesijs huius Comitatus, ad propagandam stabiliendamq́; synceram doctrinam, confirmandáque Ecclesiæ membra, pro sua gratuita bonitate & admiranda sapientia, benignè hactenus donauerit.

Profectò ipse solus est, qui, vt olim seriem Patriarcharũ & Prophetarũ dedit: ita etiam hodierno seculo, hisq́ue nouissimis diebus, prophetas, sapientes & scribas excitat, & mundo ingratissimo mittit.

Matth. 23.

II. *Imploremus æternum λόγον, vt defunctorũ successores Spiritu suo sancto, ad Ecclesiæ salutem instruat.*

Deinde λόγον ἀΐδιον, ἀΐδιε παῖς serio cordis affectu imploremus, vt quos in locum & cathedram defunctorum diuinâ suâ prouidentiâ, iampridem vocauit & ordinauit, eos viuifico suo spiritu ita accendat, vt non solùm omnes ingenij industriæq́ue dotes ad propagandam doctrinam cœlestem conferant; verùm etiam insignia antecessorum suorum virtutum exempla persequantur; operáque fidei, pietatis, inuocationis, constantiæ, amoris & timoris Dei, in tota vita sua, in laudem præpotentis Dei, studiosissimè exprimant. Ac certè, vos omnes quotquot post se viuos & superstites reliquerunt, de duobus potissimùm, per me, grauissimè adeóque per salutem vestram admoneri volunt. Alterũ est, vt quas ipsi de manu in manum vobis tradiderunt Ecclesias, quasq́ue vobis opes pietatis ac doctrinæ Christianæ cumularunt, eas ornatiores auctioresq́ue, omni animorum contentione, toto vitæ vestræ curriculo, reddere studeatis: Alterum verò, vt quemad-

Prosopopœia.

modum

modum ipsi, in confessione doctrinæ Iesu Christi, inter agones & tristia mortis certamina, ex hac vita excesserunt: ita vos quoque, laudatissimo ipsorũ exemplo inuitati, simili constantia, in fide & cõfessione Filij Dei, hinc emigretis: quò vnà cum ipsis, spe certissimæ immortalitatis & lætitiæ perpetuæ confirmati, sanctis Dei Angelis, in cœlesti honore, mortis doloribus superatis, sociemini.

Ecquis verò, ô optimi, tot funestas senum venerandorum strages animo reuoluens, ad illarum recordationẽ non intimis sensibus ingemiscat, & futuris angatur Ecclesiæ incommodis? De Ambrosio, Episcopo Mediolanensi, refert Paulinus, quòd amarissimè fleuerit, quotiescunque illi de sancti Pastoris obitu nunciaretur, quòd difficile esset inuenire alios, qui sacerdotio digni haberentur. Quanto magis ergò nos, tot præclara Ecclesiæ doctorum funera, pijs lacrymis conspergamus? quorum casus (quod maximè verendum est) haud dubiè fatalis erit nobis omnibus. Si enim in maioribus est sapientia, & in longæuis intelligentia; si senectus est canus & sapiens intellectus, teste Augustino; quid aliud quæso à nobis abstulit iratus Deus, quàm consilium, intellectum & prudentiam? Christianæ Reipub. neruos & ornamenta præcipua? Olim Appium illum, & cæcum & senem, in lectica ad senatum deferri voluerunt Romani, totius orbis domini, ad tutandam propugnandamque salutaribus consilijs communem Reipublicæ salutem. Quis ergò, malum, non doleat, tantos synodi Gerauianæ heroas, tot oraculorum Dei interpretes ac veræ iustitiæ cultores, totque reuerendos senes (quorum sancta est in cœlo & terris authoritas) breui adeò tempore, è conspectu nostro sublatos? qui vel tremulis manibus, nedum salutari consilio, sapientia, oratione, & precibus, nostræ reipub. clauum gubernare, ac venturas tempestates, non solùm experientia edocti, verùm etiam ex iudicio Spiritus, longè antè prospicere & denunciare, imò etiam auertere potuis-

III.
Ad tot sanctissimorũ virorum funera, qui sine dubio tristia denunciant, animis consternemur.

Paulinus in vita D. Ambrosij.

Iobi 12.

Augustinus in quodam Sermone.

Val. Max. lib. 8. cap. 14.

ſent? Cecidit, cecidit profectò, magna ex parte, gloria Gerauianæ Synodi. Ah, occubuerunt morte religioſiſſimi viri, qui in die Domini, tanquam veterani milites in excubijs, pro nobis liberísque noſtris ſtetiſſent, & murum ſe contra iram Dei, in confractione & locis conuulſis, pro ſalute ac fortuna Patriæ, ſe oppoſuiſſent. Sed Deus miſereatur pulueris Sionis, & rebus lapſis clementer ſuccurrat.

Ezech. 13. 22.

IIII. *Ipſorum morte, noſtram mortem condiſcamus, & tum ſenes tum iuuenes, ad mortem nos ſine mora præparemus.*

In primis autem iam ſingulis nobis in memoriam reduco, vt *Mortem*, ipſorum morte (quæ ars eſt artium) condiſcamus: ne vbi Dominus è ſtatione noſtra nos propediem vocauerit, peiores moriamur quàm nati ſumus: ſed potius hanc vitam malis auſpicijs in peccato originali inchoatã, fine meliore, in fiducia Mediatoris, & ſpe reſurrectionis, claudamus. Certè vitæ huic ad paucos annos commodati, non donati ſumus. Vtque innumerabilia in ſinu noſtro mortis pericula recondita latent: ita neſcientes quoq; ad Mortis terminos currimus, ac metam properamus ad vnam. Nobis ceſſantibus, tempora tamen tacitè labuntur: tot horæ atque dies, imò tot momenta vitæ noſtræ decedunt, quot aſſiduè præterire ſentimus. Agite igitur, Mortem nobis efficiamus cogitatione familiariorẽ, vt quandocunque ſors diuina popoſcerit, ſingulis momentis ei obuiam exire, & de ſunctione noſtra iuſtiſſimo iudici Deo, exactam rationem reddere, lætis animis, non dubitemus. Ecce dum iucũdiſſimè homo moratur (inquit Auguſtinus) in Mundo, multáque in multa tempora agenda diſponit, repentè rapitur in morte, & ex improuiſo auferturà corpore: Sed *ille beatus, qui in illa hora paratus eſt inueniri.* O ſalutarem admonitionẽ, omnium animis iam penitus inſcribendam! Vtinam, vtinam quotidiè ad diſceſſum & piam ex hac vita migrationem parati eſſemus, nutumque Domini fixis oculis expectaremus, profectò iamdum in terris ſummam ſapientiam, per illam mortis meditationem aſſiduam, adepti eſſemus.

Auguſt. de vanitate huius ſeculi.

Eheu

Eheu quotidie morimur, quotidie demitur pars aliqua vitæ. Dum crescimus, vita tamen decrescit, & quanto magis procedit, tanto magis ad mortem accedit. Infantiam iam diu omnes amisimus: pueritia nostra iam pridē præterijt: adolescentia defloruit, iuuentus apud plerosque nostrum fermè transijt vsque ad hesternum. Quicquid hodierni transit temporis, illud ipsum hodie quoque perit. Quid, quòd & hanc ipsam horam, nullis planè nec minutis nec secundis exceptis, cum morte insatiabili diuidimus? Vobis, ô reuerendi Patres & sanctissimi senes, mors est in ianuis, nobis verò iunioribus in insidijs. Vos in ipso quasi limine sepulchri constituti estis, nos per cæcos & lubricos aditus, ad idem vestibulum, celeri cursu properamus. Vt vos senectus (quā θανάτου προοίμιον vocat Antiphanes) succisiuis gradib. paulatim ad mortem ducit: ita nos fatalis hora, qua nihil incertius nec velocius, incautos sępè in medio ętatis flore opprimit. Vt canicies vestra clamat, & albi capilli vestri denūciant, animas vestras hinc abituras prope diem: ita tot ministri & præcursores mortis, varij scilicet morbi, in tanta imbecillitate naturæ, mille modis, extremum nobis exitum quotidie minantur. Breuiter & summatim, incertum est, quo loco, quo temporis articulo, & iuuenes & senes, robustos & infirmos, nos triste fatum, telo suo mortifero expectet. Vita vt ortum habuit nuperrimum: ita finem sortitur celerrimum, & quouis Euro velociorem. Vt vnus est ad vitam cunctis introitus: ita è contrario exitus ex hoc mundo, varius est & diuersissimus. Itaque vt olim diuus Abrahamus (quem diuinæ familiaritatis virum, nominat Tertullianus) in terra Hethitarum, quamuis nihil omnino proprium in ea possideret, sibi agrum ad sepulturam, quadringentis siclis, hoc est, ducentis aureis Rhenanis emit: ita & nos primò omnium, in hac terra peregrinationis nostrę, de sepulchro nostro nobis faciendo & construendo, ad exemplum patris omnium credentium, deliberemus. Et quo breuius nobis superest vitę spa-

August. in Soliloq. cap. 2. Seneca 24 Epistola.

Bernhardus.

Genes. 23. Tertull. in lib. de carnis resurrect.

c cium,

cium eò diligentius ad munus vocationis nostræ, & ad colligendas animæ virtutes, non ad congerendas diuitias & persequendas voluptates, incumbamus: nec patiamur, vt vel minima benè agendi occasio, florente iam ætate, sanitate, memoria & iudicio, à nobis segniter negligatur. Quibus quidem pulcherrimis cogitationibus ac studijs honestissimis (quæ iam inchoanda sunt, nõ differēda) si strenuè inuigilauerimus, & sub crucis vexillo in hac valle lacrymarum constanter & fortiter ad inuictissimum Immanuelem nostrum per omnia Mundi obstacula, discendo & docendo perrexerimus, non solùm nos tandem (soluto carnis & animæ dulci consortio) finem ingentium miseriarum, quibus in hac vita subijcimur, cruce nostra in currum triumphalem conuersa, cõsequemur, & corporib. nostris per venturum liberatorem breui ad immortalitatem renouabimur, verumetiam in intimum beatissimorum fratrum nostrorum complexum, in vniuersali illa, catholica & cœlesti omnium credentium synodo veniemus, ac coram Iehouah & æterno eius Filio, in terra viuentium ambulabimus, angelorum socij & ciues sanctorum. Ibi tum ex temporarijs ad æterna, ex terrenis ad cœlestia, ex imperfectis ad perfectissima, ex humanis ad diuina translati, ex optatissimam vitæ lucem aspiciemus, & gaudij cœlestis fructum, æterno gloriæ pondere, perfectissima sapientia ornati, vsurpabimus, & de facie ad faciem, *Prophetam, Sacerdotem & summum ac æternum Pontificem, ministeriq; nostri Præsulem, Dominum Iesum Christum, authorem & donatorem immortalitatis* (quē videre summa erit felicitas, summa iucūditas, vita æterna & vita beata) *nobis, in carne nostra glorificata, contemplabimur.*

Vtilitas harum meditationum.

Psal. 116.

2. Corinth. 4.

August. in lib. de spir. & anima.

Iob 19.

Omnes olim reges terræ (sacra scriptura attestante) Solomonis, augustissimi regis faciem videre desiderarunt: quantæ igitur felicitatis erit, non hominis, non Moysis aut Heliæ, non Solomonis faciem, sed Christum, Regem gloriæ, & quidē θεάνθρωπον in duab. naturis videre gloriosissimũ? vultis quid

1. Reg. 10.

quid amplius dicam? Non solũ speciosos Patriarcharũ choros, Prophetarum gloriam & labores, Apostolorum virtutes & opera, Confessorum & Martyrum fortitudinem, singulorumq; hominum, siue regum, siue subditorum, fructus pulcherrimos spectabimus, sed etiam ipsum Dominum cœli & terræ, angelorum & hominum, dulcissimè de rebus magnis (quæ mortalium linguas & captum superant) concionantem coràm audiemus. Imò veluti sacerdotes noui, ineffabili gloria & honore coronati, vnà cum iustis & angelis, æternum Melchizedechum nostrum, crebris osculis, in Sancto sanctorum salutabimus, & coram throno Agni stantes, cum vniuersa cœlesti curia TRINO DEO iustas & sempiternas laudes persoluemus, adeóque cum iubilo & exultatione, triumphales pæanas de morte, peccatis, diabolo, & inferis, à seculo in seculum, ab æuo in æuum, sine fine, in illa immensa æternitate, cum tota triumphante Ecclesia cantabimus. *Amplificatio per incrementum.*

Hæc nos, ô fratres charissimi, bona solicitè ambiamus, ac vitæ istius æternæ initia, iamdum nobiscum tacitè meditemur; hæc studia dies noctesque persequamur; in his per Christum Iesum obtinendis, laboremus, sudemus, vigilemus. Caducis ac terrenis thesauris, quos exeuntes è Mundo, immundis sæpe relinquunt, profani homines inhient, quandiu volent. Si vniuersas huius vitæ diuitias, & totum terræ elementum, veluti proprium mancipium possederint, nihil tamen hinc amplius in emigratione sua, quàm modicam, & septempedalem telluris particulam, secum auferent, vt Constantius Imperator egregiè olim auaro aulico suggerebat. Nostrum πολίτευμα in cœlis est; nos regnum Dei, nos regnum cœlorum, nos regnum gloriæ, nos regnũ lucis & triumphationis iam viui in hoc seculo, inter varias mundi ærumnas speramus: mortui autẽ hæreditario iure, cum Christo Iesu Domino nostro, sine timore amittendi, & cum æternitate retinendi possidebimus. *Cohortatio.* *Eusebius in vita Constant. lib. 4.* *Philip. 3.*

Itaque

Nazianzeni versiculi.

Respice mens sursum, terrestres abijce curas,
Nec rapiat sensus cæca libido tuos.
Et breuis & misera est hæc vita simillima somno,
Fortunam variam sors odiosa trahit.
Solius est vitæ similis sibi, vita, beatæ,
Quam solam summum viuere posse bonum est.

Ἐνχή.

Faxit Dominus noster Iesus Christus, viuorum & mortuorum Dominus, vt finitis docendi laboribus, nos quoque dulcis accipiat somnus cum requie, requies cum securitate, securitas cum æternitate:
Amen.

ALTE-

ALTERA ORATIO, XVII IVNII RECITATA.

VT olim Ioas Rex (qui à cunabulis in regnum erat conseruatus) sacerdotum suorum negligētiam non effusis in promiscuam plebem querimonijs emendauit, sed primùm Ioiadem Pontificem, tanquam caput & antesignanum huius ordinis, tùm sacerdotes reliquos omnes ad se vocauit, & cum his de neglecta Templi cura seorsim egit: ita Illustrissimus ac Clemētissimus Princeps noster ac Dominus, Dominus Georgius, præsidium & dulce decus nostrum, laudatissima Hebræi regis vestigia secutus, hodiernam hanc Synodum coëgit, vt mutuis pariter exhortationibus, remotis arbitris, ad maiorem in sacro officio nostro diligentiam, posthac tùm Deo, tùm Ecclesiæ præstandam, nos exuscitemus. Quanquam verò id per alios, qui ingenio & eloquentia plus possent, fieri peroptassem: tamen cùm Illustrissima eius Celsitudo mihi has dicendi partes clementer imposuerit, spero vos & obedientiam meam humilimam, & conatum qualemcunque pio fauore complexuros, adeoque & necessitati veniam fraternè daturos. *2. Reg. 12. A. Personis.*

Quis enim vestrū, optimi & pręclarissimi viri, Collegæ suauissimi, ignorat, ꝙ solus IEHOSVA summus sacerdos (cuius intererat totum ordinem sacerdotum in officio continere) coram tribunali Domini nostri Iesu Christi, accusatore Satana, reus agatur grauissimè, quòd nimis Collegarum suorum ignauiæ & negligentiæ ipse Episcopus, indulsisset? Stat illi à dextris Satan, & coram Angelo Domini solum Iehosuam accusat, reliquis omnibus sacerdotibus extra culpam quasi positis. Ne itaque ex neglecto Dei cultu & paucorum socordia, conscientia quoque mea tristi reatu, Iehosuæ exemplo, oneretur, ipsa necessitate, charissimi fratres, adducor, vt pia, salutari & amabili oratione, ad diligentiæ, pietatis, virtutisq; stu- *Zach. 3.*

ſtudium hortari nos cogitem. Quod vt faciliùs obtineam, argumenti magnitudo & præſtantia, vt ſpero, efficiet. Dicam enim de pulcherrimo & ſpecioſiſſimo titulo atq; elogio, quo Filius Dei Apoſtolos ſuos, omnésque Euangelij doctores dignatus eſt, cum ait, VOS ESTIS LVX MVNDI: qua verborum breuitate, tota Miniſterij ratio magna cum gratia, & elegantia adumbratur, & oculis noſtris ſubijcitur. Vt autem Oratio certis cancellis includatur, primũ dignitatem & amplitudinem ſacri Miniſterij, & vnde illa ſit, diſtinctis ſimul donorũ & officiorum gradibus, conſiderabimus. Deinde, quàm malè hac *luce* Mundus carere poſſit, liquidò oſtendemus. Hinc ad officij noſtri deſcriptionem planiſſimam progrediemur: Et tandem, quæ præmia nos maneant, tùm in hac tùm in altera vita, breuiter edocebimus. Vos igitur religioſiſſimi viri, faciles & benignas aures de pulcherrimis & vtiliſſimis rebus dicturo præbete; & ingenio iudicioque veſtro (quorum altero prædi-ti eſtis acutiſſimo, altero grauiſſimo) ſingula ponderatote. Fa-xit ſummus ſacrorum antiſtes, vt verba non in labris, ſed in pectore nata, ex corde ad corda veſtra cum fructu peruenian-t.

Propoſitio.

Matth. 5.

Partitio.

Attentio.

I. *Pars.*

A principio, VOS ESTIS LVX MVNDI, ait Chriſtus. Hic primò ordinis noſtri dignitas conſideretur: quòd Eccleſiæ doctores, *cœli luminibus* (vt & in Apocalypſi, *ſtellis*) comparantur. Quantum igitur cœleſtia præſtant terrenis, ac diuina humanis: tantum Theologiæ ſtudium, quod ad cœlum reducit, & in cœleſti conuerſatione cultores ſuos conſeruat, reliquis diſciplinis, quantumuis laudatiſſimis, eſt anteponẽdum. Hoc veriſſimo iudicio & teſtimonio æterni Dei Filij, ex animo omnes lætemur. Quanquam verò *Lumen* præcipuè eſt naturâ ſuâ Deus ille trinus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, qui propria virtute illuminant, nec iſtã vim aliunde acceperunt: tamen & nos, quibus ſplendorẽ diuinæ cognitionis per Spiritum ſuum gratuitò impertijt Chriſtus, hoc honoris titulo propter

Apocal. 2.

Eccleſiaſtici ordinis dignitas.

proptet lucis ministeriũ dulcissimè insigniuit. Ex nobis quidem, sumus plus quàm Cimmeriæ tenebræ; sed qui me sequitur, non ambulat in tenebris, ait lux illa magna Christus. SOL enim Iustitiæ serenus & lucidus, illuminat mentem & intellectum nostrum agnitione Dei, conscientiã pace, voluntatem desiderio obtemperandi Legibus diuinis, corda autem & pectora nostra, fide ac consolatione irradiat, adeoque lucem suam, Euangelij scil. doctrinam, benignè nobis cõmunicat: quæ est lucerna lucens in loco caliginoso. Origo igitur sacri nostri ministerij è cœlo est, & authorẽ habet primũ, Christum Iesum, *Solem* Iustitiæ & perennem lucis fontem: qui vt solus lucet, ita & alios in societatem sacræ lucis, ex dispensatione sua admittit. Vtque SOL medius planetarum, & dux chori cœlestis, omnibus in vniuersum stellis, lucem ac virtutem suam efficaciter impertit: ita Dei Filius, Oriens ille ex alto, clarissimis Spiritus sancti radijs, agnitione inquam Dei, fide, consolatione & vita æterna, verbi sui ministros, tàm noui, quàm veteris Testamenti, in firmamẽto Ecclesiæ illuminat. Deus is est (inquit Apostolus) qui splenduit in cordib⁹ nostris, ad præbendum lumen cognitionis, in facie Iesu Christi. Ipse solus ac primus, in vera luce agnitionis Dei & spiritualium rerũ nos collocauit, nubibus & nebulis humanæ rationis dissipatis; vt non solùm Deum Patrem, *Lumen luminum*, & portam cœli auream, æternas item habitationes fidelium, & coronã gloriæ in cruce, vitam in morte, fidei oculo apertissimè videamus, ac de turpibus erubescentes, decorum virtutis quæramus: verùm etiam pro infinita sua bonitate hoc honore amplissimo nos ornauit, vt nostro (non angelorum) ministerio, terreni cœli tractum illustrare, & toti orbi *lucem* illam verbi cœlestem, ac promissæ redemtionis & salutis mysterium, per nos impertiri decreuerit. Hinc in corona Ecclesiæ verè catholicæ, nõ gemmæ sunt aut vniones, sed *stellæ* duodecim. Innuit scilicet φωροδότης Spiritus, ministeriũ docendi illuminans, præstantis-

Mal. 4.

2 Petri 1.
Expolitio.

Lucæ 1.

2. Corinth. 4.

Apocal. 12.

ſſimũ eſſe Eccleſiæ κειμήλιον & ornamenrum precioſiſſimum. Agnouit hanc olim Miniſterij præſtantiam, Fridericus I. Imperator auguſtiſſimus, hinc eius Authentica: Dignum exiſtimamus, vt cùm omnes boni noſtram protectionem mereantur, quadam ſpeciali dilectione ab omnium iniuria defendamus, *quorum ſcientia totus illuminatur Mundus, ad obediendum Deo & nobis, eius miniſtris.* Quis ergo non intelligit, quàm auguſtum, quàm diuinum, quàm magnificum ſit noſtrum officium, quanta maieſtas & eminentia Miniſterij Eccleſiaſtici?

Quanquam autẽ omnes in cœlo pariter rutilant ſtellæ, tamẽ præ alijs quędam magis ſunt conſpicuę. Stella enim, iuxta Apoſtolum, claritate, ſplendore, lumine & magnitudine differt à ſtella, cũ aliæ ſint pallidæ, aliæ claræ, aliæ igneæ, aliæ lucidæ, alię varię, aliæ albæ, prout paruo vel lõgo à Sole abſunt interuallo: aliæ ſunt primæ, aliæ ſecũdæ, aliæ tertiæ magnitudinis: ita in miniſtris Dei, varia & diuerſa agnoſcũtur dona, dotes & officia, prout cuique Deo, ſupremus Archiepiſcopus ſeu Sol illuminans, partitus eſt. Electorũ alius, alium fidei luce, & pietatis ſtudio ſeu perfectionis gradu excellit, quiſque pro gratia ſuæ fidei, & donorũ Spiritũ ſancti menſura ac modulo. Alia eſt gloria Patriarcharũ, alia Prophetarũ, alia ſummorũ Pontificum, alia Apoſtolorum, alia reliquorum Eccleſiæ doctorum. in multis illuſtribus perſonis raræ eminent virtutes, quæ è ſublimi, tanquam ex alto cœlo, magna cum admiratione ſpectantur. Dauid certè veluti Heſperus, inter nocturnos aſtrorum ignes, emicat. Diuus Abrahamus, & Aharon ſummus Pontifex (in pectore ſuo geſtans Vrim & Thumim, lucem & integritatem) præ alijs Bethlehemiticis, Leuitis, & Diaconis, eximiè in oculis Dei & Mundi, fulſerunt. Simeon, ſacerdos magnus, propter lucem & claritatem mentis, ſol quaſi alter fuit, irridians Templum Altiſſimi. Iohannes Baptiſta lucerna ardens, & Lucifer Chriſti, prædicatur. Complures iubar ſuum vt ſtellæ fulgentiſſimæ, non in vnam aliquam ciuitatem aut nationem

1 Cor. 15. Vt ſtella, claritate differt à ſtella: ita varia ſunt miniſtrorum Eccleſiæ dona.

1 Cor. 12.

Syrac. 50. Pſal. 131. Ioan. 5. Luc. 1.

nationem, ſed radios diuinæ lucis doctrinæq; cœleſtis, in omnem Europam, imò per omnia orbis climata, ad extremos vſque fines terræ, maxima cum venuſtate & vtilitate ſparſerunt: vt olim Apoſtoli Domini, & noſtra ætate ac memoria Lutherus, Philippus, & ſimiles religionis purioris inſtauratores. Alij, veluti inſolita chaſmata, non ſolùm terribili lumine ſubitò emicant, cœlumque admirabili ratione aperiunt; ſed & ſpectantium corda ſtupendo lumine perterrefaciunt: quales fuêre Triſmegiſtus ille Moyſes (qui Philoſophos Aegypti ſapientia, Sacerdotes Dei religione, Reges terræ verò potētia populi ſuperauit) filij item Tonitrui, Iohannes & Iacobus, adeoque Paulus ille tonans & fulgurans; ad quorum omnium prædicationem, maria terræque tremuerunt. Quidam planetarum inſtar exulant & oberrant, vt olim Helias; noctuq; in medijs tenebris, tribulationis tempore, gemmeo ſuo decôre lucentes, veluti Planetæ, Solem Iuſtitiæ modò precibus ad gubernanda conſilia ſua anteuertunt: modò ad eum, placidos exitus ſperantes, recurrunt: modò ad tempus ſubſiſtunt, audituri quid in ipſis loquatur Dominus; modò cum eo vna quaſi caro facti, coniunguntur: modò ad latera eius vt fortiſſimi milites, non vt galeati lepores, incedunt; modò à tergo crucem baiulantes, & viam ſuam ei commendantes ſequuntur: omnino perſuaſi, ſe nec anguſtia, nec perſecutione, nec fame, nec nuditate, nec periculo, nec morte, nec vita, nec præſentibus, nec futuris, nec acceſſu, nec receſſu, auulſum iri à dilectione Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Alij ſalutares auri argētiq; pluuias & imbres, tellure æſtu ſolis torrefacta, feneſtris cœli quaſi apertis, Pleiadum & hyadum inſtar, per Sacramentorum adminiſtrationē fundunt, vt ſic terra nouo vigore recreata fructū ferat ſexagecuplum. Alij quaſi Cometæ diri, longam poſt ſe caudam trahentes, magnarum mutationum in Imperijs & Rebuſpublicis ſunt ſigna: gladiumque Domini vltorem, atroces inquam pœnas, Mundo pœnitere neſcio, ex alto

Marci 3.

1. Reg. 19.

Habacuk 2.

Rom. 8.

Ierem.27. impendere denunciant. Ita Ieremias πρόδρομος fuit πανολεθρίας Iudaicæ, cùm catenis vinctus, & diuinarũ comminationum plenus, ingrederetur Hierosolymis. Alij paruis tantùm nitent igniculis, & sanctis albísque coruscant scintillulis; quod de reliqua minorum siderum turba, cœlique militia, vel constellatione, per viam Lacteam notata, de cœtu inquam scholastico, intelligo,

Turba Creatorem tenero quæ prædicat ore.

Et hic est pulcherrimus terreni cœli & firmamenti Ecclesiastici ornatus. Sicuti enim multiplices flosculi in pratis, aut distincti colores in tabula, mirificè non tantùm ornant, sed etiam oculos oblectant: sic certi illi gradus docentium *Ephes.4.* & piè discentium in regno cœlorum. Alios Apostolos dedit *2.Reg.4.* Dominus, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, alios doctores, alios ludimagistros, alios filios Prophetarum seu discipulos, omnes tamen ad instaurationem sanctorum, & ædificationem corporis Christi: qui singuli, ad splendorem Iustitiæ Christi clarissimum collati, alieno suo & mutuatitio lumine, non secus obscurantur, quàm ad iubar Solis fulgentissimum, micantia cœli sydera. Et hæc quidem de primo orationis membro, dicta sufficiant.

II. Pars. Docens, quàm, malè Mundus cœlesti hac luce carere possit.

Quàm autem Mundus, chaos illud confusum & densis vaporibus plenum, illuminatis eiusmodi à Deo luminibus indigeat, in publico ac communi salutis negocio, res ipsa nobis tacentibus, loquitur. Nam naturâ suâ per principem tenebrarũ obscuratus, nec antè, nec retrò, neque à dextris, neque à sinistris oculos habet, sed quasi Cyclops sine oculo, in tenebris ignorantiæ Dei, errorum, impietatis ac mortis versatur: & cæcitate mentis, falsa doctrina, cultu idolorum, carnisque voluptatibus, sub regno Satanæ irretitus, stolidæ suæ rationis figmenta tantùm sequitur. Licet enim in prima creatione radios diuinæ suæ Sapientiæ, Iusticiæ ac lucis mortalium generi communicarit Deus; Diabolus tamen peccato (quod appellatur

Concessionis remotio. Etsi Mundus lucem aliquam adhuc habet reliquam: in rebus tamen diuinis, ipsa obscuritate est obscurior.

appellatur tenebræ) ſolem illum lucentem in animis primorum parentum, ita penitus obſcurauit, vt iam abſque patefacta Euangelij luce omnibus omninò mortalibus, in denſa & tetra caligine, imò in vmbra mortis, pereundum ſit. Habent quidem adhuc homines naturalem aliquam lucem in mentibus reliquam, per quam eò deueniunt, vt Deum eſſe ſciant, & diſcrimen quoddam honeſtorum & turpium perſpiciant: verùm, fruſtratis ipſis per cogitationes ſuas, obtenebratum eſt *Rom. 1.* inſciens cor eorum, vt in meridie impingant. Ad hæc tenebris *Epheſ. 4.* obſcuratum habent intellectum, & oculos terreſtribus ſordibus ita oppletos, vt etiam ſapientiſſimi & oculatiſſimi huius *1. Cor. 1.* Mundi, in luce ſua, veluti talpæ, miſerè cæcutiant. Imò vt paucis multa complectar, lux ipſa interioris mentis, in tenebras obſcuriſſimas verſa eſt. Nihil enim de Dei eſſentia (quod in Turcis ac Iudæis apparet, vt Ethnicos taceã, qui quaſi δῆμον θεῶν finxerunt) nihil de eius voluntate erga nos, nihil de animorum immortalitate, nihil de carnis huius reſurrectione, nihil de vita, ſalute & felicitate æterna, certum & exploratum habent. Si itaque mundus de diuina voluntate rectè iudicare, *Via ac ratio effugiendi iſtam ſpiritualem cæcitatem, additú incommodú, ſi hoc medium negligatur.* & beneficio lucis æternæ, ac intelligentia ſacrorum frui velit, per alios vera Dei cognitione illuſtratos, oportet illuminetur: aut funditus & æternùm in peccatis ſuis pereat & moriatur, neceſſe eſt. Nullum enim aliud ſub cœlo, vbi ſis gentium, eſt medium. Sine tua luce, ô Lux beatiſſima, non eſt veritas, adeſt error, adeſt vanitas: nõ eſt diſcretio, adeſt confuſio: adeſt ignorãtia, nõ eſt ſcientia: adeſt cæcitas, nõ eſt viſio; adeſt inuiũ, non eſt via: adeſt mors, nõ eſt vita: vt egregiè Auguſtinus in Soliloquijs ſuis cõmemorat. Ac certè aut vita à flagitijs emẽdanda, *Auguſt. in Soliloq cap 3.* & tenebræ vlulis, vpupis, noctuis & veſpertilionib⁹ relinquendæ, magnumque illud lumẽ vitæ, oculo fidei eſt apprehẽdendum: aut in tenebris exterioribus cum atris ſpiritibus, ſine vlla veniæ ſpe, in omnem æternitatem eſt deliteſcendum, idque iuſtiſſimo planè Dei iudicio. Cum enim clauſis oculis, præſra-

cta malitia lucem diuinam vltrò oblatam, tota mente auersentur,& pessimis studijs occupati, tenebras, errores, superstitiones sceleraque sua,præ luce ament; digni sunt, qui absque *sole & stellis, & sine luce matutina*, perpetuis inferni horroribus immergantur. Deus ille propitius, in hac vltima Mundi senecta,& postrema iam incumbente noctis caligine, magno numero, cœlo sereno, stellarum fulgentium agmen, in lumē noctis dedit: in excelso hodiè lucet super bonos & malos, tota militia cœli: tot clarissima sine nubibus sydera, inferiorē hunc mundum, totis iam quinquaginta annis abhinc ornarunt, vt ab heroicis vsq; seculis, ex immēso & inenarrabili Dei beneficio, vix vno tempore plura & benigniora conspecta fuerint. Verùm, paucissimi proh dolor sunt, qui grati secundū Euangelij lucem ambulent, vt palpabiles æternæ damnationis tenebras effugiant. Et hæc est condemnatio, quòd Lux venit in Mundum, & homines magis dilexerunt tenebras quàm lucem, Diaboli laqueos, quàm libertatem.

A facili: quia Deus in hac senecta Mundi, infinita dedit lumina.

Stupor Mundi.

Ioan. 3.

III.

Παρασκευὴ ad tertiū locum, qui officium Ecclesiasticorum luminum complectitur. Hieronymus ad Oceanum.

Sed Mundo, plus quàm in mundo & tenebricoso, valere iusso, ad officij nostri partes (quod præcipuum rei caput est) ordine pergamus. Ac valeat sanè Dignitas, quantacunque in oculis mortalium sit, quæ expers omnino est officij. Vnde enim quæso Dignitas, nisi ab officio, & propter officiū in laudem & honorem Dei, ac vtilitatem proximi? *Episcopatus est opus*, inquit Hieronymus, *non dignitas; labor, non deliciæ.*

I.

In cœlo, non in cœno consistant. Philip. 3.

Primùm autem, quia insigni, specioso, & eximio lucis stellarumque titulo, impensè delectamur, *in cœlo, non in cœno, non in terra, aut puluere, stemus.* Stellæ, ordine diuinitùs sancito, cœlo sunt infixæ, & à consortio rerum terrestrium adeò alienæ, vt nunquam terræ vmbram incurrant. Sic cōuersatio nostra semper in cœlis sit, à terrenorum hominū studijs, & impuritate huius seculi, longissimè separata. Honor cum sit sublimis, vita nō sit procliuis: Quid enim? An stellæ, vt Stoici olim delirarūt, terræ & Oceani vaporibus aluntur? Itaque humilia

Ambros. in suo Pastorali. Ab absurdo.

milia deferamus, alta petamus, cœlorum fastigia conscendamus, & res opesque humanas, quasi stercora conculcemus. *In cœlo consiste, si de cœlo loqueris*, inquit Chrysostomus, stella antiquitatis lucidissima. Et Bernhardus: *Monstrosa res est*, inquit, *gradus summus & animus infimus: sedes prima, & vita ima.* Sed quis cœlum ascendet altissimum? inquis. Ecquis in eo stabit? Cœlum verè stelliferum ascendis frater, quoties sacra Biblia (quæ Alphonsus, illustrissima illa stella Regia, decies quater percurrisse dicitur) solicitè pererras. In cœlo stas, quoties castis meditationibus ac precibus intentus, cum Deo, cœli Conditore, colloquium suscipis, ac diuinam eius gratiam & benedictionem humiliter imploras. In cœlo stas, quoties in publico Ecclesiæ theatro (quod regnum cœlorum est) in altissima quasi specula positus, publicæ salutis curam agis, ac pro virili tua, cœli mysteria explanando multitudini inseruis, ac benè consulis. Non ergo in cœlo stant, sed de cœlo (vt olim Lucifer cum Angelis suis) in ipsam Stygiam paludem lacúsque tartareos, in carbones, seu potius in Dracones volantes conuersi, deciderunt Romani Pontifices: cùm in Ecclesia, in regno cœlorum, abiecto doctrinæ cœlestis studio, super terrã vanis desiderijs volitarunt, & tertiam partem stellarum (quanquã nunquam fuerint stellæ, sed saltem noui halitus accensi, & in modum stellarum flagrantes) de cœlo secum detraxerunt. Et his non regni cœlorum, sed putei abyssi & satanicarum tenebrarum clauis data est: è quo quidem puteo, per illos aperto, non solùm falsæ doctrinæ fumus ascendit, æterno Soli Iustitiæ tenebras offundens, dum Christi Saluatoris ac meriti eius cognitionem extinguit: sed etiam ex fumo illo densissimo, ingentes *locustarum, seu caprarum saltantium* (non *stellarum*) exercitus prodierunt, Sacrificulorum & Monachorum agmina: quorum nefandis dolis & fraudibus hypocriticis, ager Dominicus, per totum orbem Christianum, longè lateque vastatus & exinanitus fuit. Nos igitur iam in cœlo, in spirituali Dei re-

Chrysost. in 5. caput Matt.
Bernh. de consid. lib. 2.
Modus standi in cœlo.
A contrario exemplo Doctorum Pontificiorum.
Apocal. 12.
Admonitio.

gno, stantes, alieno periculo cauti caueamus, ne in tantã, Dei beneficio, altitudinem & fastigium euecti, magno cum pondere, alto de cœlo delabamur. Nihili æstimemus omnia, quæ Mundus hic inferior admiratur: sed mente & affectu, extra Mundum, in cœlo versemur, & vt membra capiti, sic nos stellæ, lustitiæ Soli, æterno nexu motuque, legendo, scribendo, meditando, orando & sacra tractando, adhæreamus.

11. *Vitæ sanctitate, cum gloria conscientiæ luceant.*

Deinde, vt in cœlo eximiæ fulgent stellæ, appetente vespera: Ita nos quoque Iairi, lumine cœlesti illustrati, & filij lucis facti, vitæ sanctimonia morumque honestate, candore & grauitate, in hac mundi vespera, in statione nostra, in orbe quisque suo, lucidi rutilemus, ac cæteros in virtutum stadio præcurramus. Qua enim fronte, quæso, alijs iustitiam fidei persuadebimus, si inclytam morum ac virtutum Christianarum iustitiam, ipso Hespero pulchriorem, nos à Christo illuminati & illuminantes, violemus? Videte, obsecro, quomodo in Ezechiele, de gradu suo deijciantur impij Leuitæ, & ad seruiles operas adhibeantur. Ad quid enim squamæ istæ fulgentes & putrida saltem ligna: quæ alijs pariunt scandalum, quibus esse debebant imitationis exemplum? Vix sine lacrymis iã recordari possum, quæ de Origene (celeberrimo Scholæ & Ecclesiæ Alexandrinæ Doctore, cuius vox in toto orbe intonuit) Epiphanius refert. Cùm Alexandriæ impiorum iniurijs victus Dijs adoleuisset, & postea Hierosolymis vt in Ecclesia verba faceret rogatus, libro aperto, in Psalmi quinquagesimi locum incideret, qui talis habetur, *Peccatori dicit Deus, quide narras iustitias meas, & testamentum meum in os tuum assumis?* Mox librum gemens deposuit, ac in lacrymas effusus cõsedit, & omnibus simul cum reuerendo sene plorantibus, veniam erroris, tùm à Deo, tùm ab Ecclesia, mœsta voce petijt. Qui oculos habet, optimi senis lacrymas & suspitia aspiciat. O quàm tolerabilius esset, de plano corruere, quàm de sublimi cadere dignitate! Ruina enim quæ ex alto fit, grauiore casu collidi-

Ezech. 44.

Epiphanius.

Ambrosius in suo Pastor.

tur

tur. Nec est tãti gaudij, excelsa tenere, quãti mœroris est, de excelsis corruere. Profectò melius fuisset, sub modio adhuc latuisse, quàm cum infamia candelabrum ascendisse, vt sancti Patres docuerunt. Itaque semper simus memores grauissimæ exhortationis Domini nostri Iesu Christi: *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, (non in vobis ipsis tantùm) *vt videant bona opera vestra*, (radios scilicet lucis) *& Patrem in cœlis glorificent.* Item, Ambulate donec lucem habetis, ne vos tenebræ, cum æterna nocte, apprehendant. Item præcipit Apostolus Gentium: *In medio nationis prauæ*, inquit, *lucete, vt luminaria Mundi.* Quæ enim societas est lucis & tenebrarum?

Matth. 5.

Ioan. 12.

Philip. 2.

III. *Sana doctrina tùm ipsi rutilent, tùm alios eadem illustrent.*

Adhæc instar lampadum in Mundi tenebris, sanâ doctrinâ & veritatis cognitione, prælucente Sole Iustitiæ Christo, singuli in nostro hemisphærio luceamus, & discrimina diei & noctis, lucis & tenebrarum, constituamus. Nam quantæ alioqui tenebræ, si nos tenebricosi simus, qui lux Mundi & duces cæcorum audire volumus? Non solùm autem nos doctrinâ clari simus, verùm etiam de Deo cœli gratam famam spargamus, adeoque tenebras mentiũ & nubes traditionum humanarum, Euangelij luce ac fulgore dispellamus: partim auditorum animos ad cœlestium rerum contemplationem attollendo, vt cuncti videant, quæ sit Dei erga nos voluntas, & quæ vera iustitia; partim inferioribus, catecheticis scilicet pusillis, lumen sapientiæ ad laudabiles vitæ rationes demonstrando: partim conscientias mœstas & obnubilatas, discussis peccatorum tenebris, dulcissima Christi Iesu gratia, Verbo & Sacramentis annexa, suauiter serenando ac recreando: partim verò pedes discedentium ex hoc Mundo fratrum & sororum, in agone mortis, in viam pacis, & æternæ vitæ possessionem, dirigendo. Ac væ illis, quotquot hîc non lumen, sed spectrum luminosum, & ignem se præstant fatuum: quotquot, inquam, lucernas quidem manibus gestantes, & viæ duces se fore promittentes, aut officium suũ illuminandi turpiter negligunt,

Comminatio.

De Cohabo vide Euseb. ib. 4. cap. 6.

Tertul. in lib. de cultu fæmin.

aut Cohabi instar, à vera vitæ fideiq́ue via, per inextricabiles labyrinthos, miseras animas & conscientias, ad lacunas mendaciorum, ac in æternæ mortis præcipitia, altissimamq́ue inferni voraginem abducunt. *Ad quid nos Lumen terræ vocauit Dominus* (ait vetustissimus scriptor Tertullianus) *si non relucemus inter tenebrosos?* Equidem hac de causa in excelso editoq́ue loco præsidemus, vt ad inferiores cuiusq; ordinis ac status homines, lumen nostrum transfundamus, eosq́ue spirituali sacrarum literarum influentia, suauiter reficiamus.

IIII. *Cum sole ad quotidianum ministerium magno zelo pergant.*

Prætereà, fratres, cum sole ad quotidianum ministerium surgentes, magno gloriæ Christi zelo tanquam incendio ardeamus. Licet enim stellæ omnes, sole exorto, dispareant: nos tamen Sole iustitiæ emergente, & fulgore suo Mundum ad operas reuocante, simul quoque ad idem operis accingemur, & manifesta spiritus virtute, cunctos ad præclaras in vita actiones, magna cum grauitate hortabimur. Fiet id potissimum, si Mundũ ad opera honesta excitemus, si fidẽ in Christum viuifico calore vrgeamus, si scelera non persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione spiritus ac potentiæ arguamus, si pœnas fatales, nisi conuertantur, prædicamus, si in via Domini tardiùs progredientes hortemur, moneamus, obsecremus, instigemus, increpemus, tempestiuè & intempestiuè. Hîc nobis cum Christo & Paulo, continuo æstu, tantisper dum in pectus venasq́ue calor penetret, vrgendum, *Credite in lucem dum lucem habetis, vt filij lucis sitis.* Videtis opportunitatem, quòd tempestiuum iam sit, è somno nos expergisci; nox enim præterijt, dies autem aduenit. Abijcite igitur opera tenebrarum, & induimini habitu, qui luci conueniat. Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ergò vt filij lucis ambulate: Nolite quæso communicare operibus infructuosis tenebrarum, &c.

Ioan. 12.

Rom. 13.

Ephes. 5.

V. *Concordiam inter se alant studiosissimè,*

Neque verò & hæc iucundissima Astrorum speculatio prætereunda est, quòd omnes in vniuersum stellæ concordissimè

ſimè annis nunc quinquies mille, quingentis & quinquaginta quatuor (iuxta veriſſimam temporum ſupputationem) inter ſe, harmonia planè pulcherrima mouentur. Nimis ergò turpe fuerit in filijs Dei ac ſeruis Ieſu Chriſti, minus valere viuum ac germanum charitatis ignem, quàm in mortuis creaturis, cœli ſyderibus. Et cum omnes in vno eodemque firmamento, in eodem omnes cœlo conſiſtamus, vnius lucis capaces, & vnius eiuſdemque excellentiſſimi luminis, tam in Borealibus, quàm in Auſtralibus terræ regionibus, miniſtri ſimus, in munere per omnia coæquales, diſpudeat, niſi fraternam & ſynceram inter nos concordiam, in tàm breui vmbratilis vitæ noſtræ curriculo, illibatam cõſeruemus. Ah diſpereant funditus omnes Martiales illæ ſtellæ, cruẽtæ & crudeles incendiorum faces; quæ quaſi tubæ belli, claſſicum in aulis Heröum & Potentum, contra veros Eccleſiæ doctores, ad opprimendam veritatem canunt. De cœlo ruant infauſta Saturni ſydera, quæ frigiditatem ſaltem, & venenatum lumen, omnibus animantibus noxium, inducunt, ac ſocium fraterni amoris calorem extinguunt. His, his ſapiens Heros dominetur aſtris, ſi fatales pœnas deuitare cupiat. Nos verò, dilectiſſimi Symmyſtæ, iuuemus nos mutuò ſalutaribus conſilijs; conferamus placidè ſtudia: compatiamur in aduerſis affectu ſyncero; ac mutuam inuicem operam, pro gloria Dei, & concrediti populi neceſſitate, alter alteri candidè ſemper præſtemus. Eiuſmodi cõcordi Collegio, vt nihil eſt firmius, & in orbe Chriſtiano laudabilius: ſic in cœlo coram Deo & Angelis, vix quicquam acceptius. *Nouum præceptum do vobis* (Sol iuſtitiæ clamat) *vt vos inuicem diligatis, inde enim cognoſcemini, quòd mei ſitis diſcipuli*. Et is fortè fuerit pulcherrimus ille concentus muſicus & harmonia cœli iucundiſſima, de qua nec Plato, nec poſt eum Cicero, nec Macrobius quicquam ſomniare potuerunt.

quia vnius lucu tùm conſortes, tum diſpenſatores ſunt.

Ioan. 13.

In primis autem, cùm ſtellæ perfectiſſimam & pulcher-

VI. *Conſtantiſſi-*

mi in confessione veræ doctrinæ vsque ad extremum vitæ spiritum permaneant.

rimam habeant figuram sphæricam, motus item certos & constantes, (nam nec Planetæ seu Erraticæ, in suo illo liberrimo, sed tamen vniformi ac regulari motu, fines sibi circumdatos vnquam egrediuntur; sed progressus & regressus tatos & constantes habent) nos quoque tùm in obedientia diuinorum præceptorum, tùm in agnita, & publicè decantata à nobis veritate, infinitis etiam impendentibus afflictionum tenebris, constantissimi & Tetragonij permaneamus. Caueamus, ô optimi, ne, ceu vagæ stellæ, quouis tùm vẽto agitemur; aut veluti stipulæ ardentes capræque saltantes; hincinde discurramus; aut instar lunæ, (quæ nunquam eandem faciẽ retinet, sed crescit, decrescit, constans persistere nescit) inhoras subinde mutemur, sicque alijs infirmitatis, imò defectionis exemplum obijciamus, quos ad fidei cõstantiam, & inuictum animi robur, vel si fractus illaberetur orbis, per nos potiùs armari conueniebat. Si quid pro veritate in gratiam Dei audendum fuerit, instar stellæ polaris, immoti stemus, & ne latum quidem digitũ, à cœlesti & sacra veritatis linea normaque doctrinæ, quam Deus nobis in verbo circumscripsit, exorbitem⁹ aut declinemus: sed intrepidè, per mediũ malorum agmen nubesq; densissimas, per cædes, per vulnera, per sanguinem, per tenebras & caliginem mortis, imò per horrores inferni, fidei alis suffulti, *ad Solem Iustitiæ Christum*, rapidissimo motu, perpetuoq; rotatu voluamur. Agamus cum Apostolis Deo Patri gratias, quòd nos miseri titiones ex igne eruti, digni facti simus, qui lucem Euangelij clarissimam, Antichristo reuelato, spargamus, & nunc pro gloria Christi ad vtilitatẽ Ecclesiæ, aliquid patiamur.

Actorum 5.

Conclusio tertiæ partis, addita cõsolatione pro infirmioribus.

Hæc illa sunt, viri omnibus rebus præcellentissimi, quæ singuli toto pectore, dum spiritus hos regit artus, præstare debemus. Nolim autẽ adeò strictè hæc accipiatis, quasi, qui suæ iam infirmitatis & imperfectionis ipsi sibi sunt conscij, animum despondere, & iniunctum à Deo illuminandi officium

detrectare

detrectare debeant. *Minimè omnium ſacerdos timeat peccare* (inquit Auguſtinus) *ſed magis timeat deſperare*. Non omnes in cœlo ſtellæ pariter luminoſæ ſunt. Quædam enim adeò obſcuræ ſunt, vt vix conſpiciantur. Interdùm etiã ſalutaria & benigna ſydera, quamuis lucidiſſima, ſic obiectu nubiũ & nebularum obſcurantur, vt licet in cœlo extent, nuſquam tamen reſplendeant. Quid quòd non rarò tempeſtates turbidæ, & cœlum & ſtellas aſpectui noſtro auferunt? Sic fideles aliquando Miniſtri, partim varijs tentationibus & tenebris infelicitatis, partim vitioſis melancholici cerebri fumis & ſpeculationibus triſtibus, quaſi obnubilantur; vt non ſolùm ſpiritus vitales in eis debilitentur, ſed & prorſus contabeſcere, imò extingui videantur. Verùm vbi liquido conſolationis ſuæ fulgore, fauore & ſerena facie affulſerit ipſis Sol Iuſticiæ Chriſt⁹, Phœb⁹ clariſſimus, apparebunt etiam ipſi in gloria cum eo. Quid quòd ſtellæ quædam eximię fluctuare & trepidare etiã in cœlo videntur? Ecquid ergo mirum, ſi in veris animorũ doloribus, & cogitatione irę Dei, aduerſus reliquias peccatorũ, expaueſcamus ſubinde, vt interiori Spiritus ſancti teſtimonio erigi neceſſe habeamus? Scintillã etiam cineris, & linum fumigans, non extinguit Lux illa magna Chriſtus: ſed gratię ſuę radijs atque igniculis, obſcuros illuſtrat; triſtes exhilarat; infirmos fide recipit, fouet, fert, ac ſuſtentat.

Auguſt. in lib. de vera & falſa pœnit.

Vide 2. Corinth. 1. de Paulo.

1. Ioan. 3.

Eſaiæ 42.

Nunc ad poſtremum Orationis actum deſcendamus, & de præmijs piorum ac fidelium Eccleſiæ Doctorũ, pauciſſima commemoremus. Diuus Iohannes, in Apocalypſi, ſeu libro de fatis Eccleſiæ, teſtatur, quòd *ſtellæ Eccleſiaſticæ in manu Dei dextera ſint*. Attẽdite hîc fratres, digna enim ſunt, quę imis reponantur ſenſibus. Tota vniuerſitas miniſtrorum Eccleſiæ, vtcunque ſæuiant Rectores tenebrarum, in protectione Dei eſt; Exercitus & agmina ſtellarũ, ſunt in dextra Dei; in patricinio Dei; in aſſertione Dei; imò in vtero Dei. Hoc autem Deo tutelari ac defenſore inter horribiles infeliçis Mundi mo-

IIII. Pars: Præmia doctorum Eccleſiæ continens.

Apocal. 2. 1.

In manu Dei fortiſſima concluſi ſunt.

Eſaiæ 46.

Rom. 8.

tus, pro nobis stante, quis contra nos? Quis nos de manu tanti protectoris rapiet, cùm nulla vel sub cœlo, vel supra cœlum potentia sit, quę dextrę eius resistere queat? *Dextra Domini excelsa est; dextra Domini facit fortia.*

Psal. 118.
Psal. 147.

II. *Deo notissimi sunt.*
Num. 24.
1. Tim. 2.

Deinde Dauid (stella illa Regia) affirmat, quòd multitudinem stellarũ etiam numeret, & omnes suis nominibus vocet. Ergo Dominus ille illuminans, illustrissima illa stella ex Iacob, exactissimè nouit ad vnum omnes Iairos, à se illuminatos. Nam si tanta cura numerat stellas, à se piorum causa creatas: multò magis piorum Ministrorum nomina, sortes, fortunas, numerum, onera, imò ortum & occasum, totamque circuli & cursus nostri dispositionem, curriculum & periodum fatalem, à primo creationis die, vsque ad extremũ totius orbis occubitum, in conspectu diuinæ suę prouidentię definiuit & consignauit. In manu Dei sortes & tempora nostra sunt, vt iam olim in suo hymnorum libro cecinit Psaltes.

Psal. 31.

Apocal. 2.

III. *Decimæ spiritus & incrementa donorum, in hac vita accipiunt.*
Matth. 24.

Adde his, quòd stellã matutinam dabit vigilantibus ministris, syderum cœliqúe rector Christus: vberiorem intelligo salutis ac scientiæ spiritualis cognitionem, & multipliciũ donorum augmentum: Ergo Spiritus dona illis augẽtur, (habenti enim dabitur) studia eorum diuinæ gratiæ radijs gubernantur, sanctoque labori ipsorum, ad ædificationem Ecclesiæ, benedicitur. E cœlo vobis, ô vigilantissimi Pastores, non solùm Angeli, & ex omnibus Mũdi plagis, filij Dei hinc inde dispersi, benedicunt: sed & aureus ac roseus ille cœli Sol, æternæ lucis splendor Christus, vnà cum Patre & Spiritu sancto, omni benedictionum copia, vos locupletare iampridem decreuit.

V. *Mercedẽ copiosissimam in illa arcana ac æterna luce, olim, & anima & corpore recipient.*
Ambros. lib. 1. offi. cap. 16.

Postremò vbi cursum nostrum lucendo consummauerimus, copiosam in cœlis mercedem, ab illa beatissima & æterna luce Christo, reportabimus. Futuram, non præsentem, (præclarè inquit Ambrosius) in cœlo, non in terra, promisit mercedem esse reddendam: Quid alibi poscis, quod alibi debetur? Quanta verò tum, præ reliqua Electorum turba,

fidos

fidos Iesu Christi seruos, vera Mundi luminaria, in illa æterna statione, qua in sorte sua stabunt singuli, gloria dignitatis nitent, eximius ille vates, & vir desideriorum Dei Daniel, multis iam seculis antè, de gradibus beatorum disputans, literis prodidit. *Intelligentes*, inquit, hoc est, pij qui soli verè sapiunt (nā Maschilim prudētes significat) *fulgebunt instar firmamēti: Sed qui multos ad iustitiam suâ doctrinâ conuertunt, erunt sicut stellæ in seculum seculi:* imò, sicut Sol in regno Patris sui, vt alibi Christus testatur. Erunt ergò secundū Danielem (qui duo hîc vocabula discernenda, nō confundenda vult) in vita æterna gradus gloriæ, variæque coronæ: ita quidem, vt, qui publicè in Ecclesia docuerunt, maiora & pulchriora ornamenta accepturi sint. Nam licet amplissima præmia electis ex æquo proponenda sint, & coronæ singulis distribuēdæ immarcescibiles, vnumque planè corpus futuri simus omnes; nō tamen par omnino ratio erit mēbrorum, sed dispar tùm gloria, tùm claritas, sine vlla tamen inuidia, vt & nunc membrum aliud est capiti propinquius, aliud verò ab eo remotius, adeoque aliud alio honestius. Itaque vt vna cunctis erit beatitudo lætitiæ; ita non vna in omnibus erit sublimitas vitæ, vt olim quoque scripsit Gregorius. Aurea igitur hæc Prophetici oraculi verba, in laboribus & ærumnis, potissimùm veritatis organa consolētur; quotquot in hac languida & tristi senecta Mundi (nam de his vaticinatur Propheta) docendi molestias summa fide, in Ecclesia Christi, sustinent. *Qui ita fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Interim ogganniant nobis quandiu volent ingenia κυκλωπικὰ, *Vbi sunt, qui sydereis in templo Dei fulsêre splendoribus? Vah, nónne ad vnum omnes, pulvis sunt & fauillæ?* Nos laboribus nostris vtilissimis planeque diuinis perfuncti, per vallem vmbræ mortis, ad illam beatam, æternam & splendidissimā cœli cœlorum lucem (quam nobis ab æterno præparauit Solis illustrator) statim à spiritu edito, subuehimur: in qua Deus, Pater luminum, omnia est in

Daniel.12.

Matth.13.

Vide August. in Ioannem.

Gregorius in Moralibus.

Matth.5.

Mimesis & sarcasmus Centaurorum.

1.Cor.15.

Apocal. 22.

Esaiæ 30.

Philip. 3. 2. Petri 1.

Epilogus partialiu.

omnibus: vbi dies est sine nocte, festum sine fine, serenitas sine nube: vbi non lumine lucernæ, aut solis huius beneficio ampliùs indigebimus; sed à Iehouah trino, in clarissimũ cœli iubar tãta claritate, sine vlla macula illuminabimur, vt Lux nostra septuplo maior futura sit, quàm nunc vastus ille Sol habet, quo orbis illustratur. En nobilissimum & incomparabile diligentiæ nostræ præmium, idque omninò gratuitum & honorarium; ab oculis quidem nostris iam abstrusum, sed propediem insigni cum ornatu & splendore nostro, reuelandum. Quin & corpus hoc nostrum humile & opacum (vbi Eclipsin in cauda Draconis, è serpẽtis vulnere, passum fuerit) in extremo die, Sol Iustitiæ Christus, æternę illius vitæ instaurator, viuificis suis radijs in lucem resuscitabit perennem, illúdque corpori claritatis suę conformabit, adeoque æterno fœdere sibi arctissimè copulatum, in diuinæ naturę consortium quasi admittet. *Qui aures habet ad audiẽdum audiat*, & quæ de amplitudine Ministerij, de eius necessitate, de officio doctorum Ecclesię, & prę̃mijs eorundem hactenus tenuiter dicta sunt, memori mente conseruet, ad Dei gloriam & animę suæ salutem, in Christo Iesu, Seruatore nostro. Amen.

FINIS.

FRANCOFORTI
EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS CORVINVS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ERRATA.

Præfat. fac.alt.v.3 l.nostri. a iij v.18.l.consecrata. a pag.pen. v. 22.l.sibi. b fac.alt.v.15. l. quò.v.21. l. felicitas b ij in marg.l. domo.v.vlt.l.quoad. b iij fac. alt.Distichi ordo sit Hexam.v.18. l. ἀΐδιον. pag.pen. in marg. l.quæ. c iij. v.6.l.Ioiadam. fac.vlt.v.1.l. simũ. & ornamentum.v.3.l.augustissimus. Hinc. v. antep.l.irrad. Reliqua vel nulla, vel sanè his etiam leniora reperientur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf